

ut concedat omnino, petere debemus. Propositio enim  
 dialectica est, quae magna ex parte rem ita habere de-  
 clarat, neque refellitur. Cum autem eadem res & sine  
 incommodo, & cum incommodo per ratiocinationem  
 concludi potest, hoc an illo modo efficiatur, nihil ad  
 eum qui necessaria ratione non probabili concludit, is  
 autem qui probabili ratione utitur, non debet argumen-  
 tationem tractare per ratiocinationem, per quam alter  
 incommodo urgetur. Nam & cum nullo incommodo urgetur  
 concludendo, nihil controversiae loco relinquunt: & cum  
 incommodo urgetur, tum nisi sit evidens & perspicuum id  
 falsum esse, alij incommodum id negant esse. Ita non habent  
 quod volunt ij qui quaestionem ponunt. Proponenda autem  
 sunt ea, quae magna ex parte ita se habent, & refelli aut  
 non possunt omnino, aut certe id facile quasi prima fa-  
 cie perspicere non potest. Cum enim in rebus quibusdam non  
 ita esse perspicere nequeunt, tum id quod propositum sum-  
 ptumque est, quasi verum sit solent concedere. Numquam  
 autem queri debet conclusio: sin secus, cum alter eam ne-  
 gabit, ratiocinatio numquam ad exitum perducitur.  
 Saepem enim etiam cum nulla interrogatio & quaestio poni-  
 tur, sed ut consequens concluditur, id negatur effici. quod  
 cum faciunt illi, certe ab ijs qui non vident quid ex conces-  
 sis sequatur, minime reprehendi videntur. Cum igitur  
 unus rogat neque id ait effici, alter autem negat omnino,

sum ratiocinationi nihil omnino loci relinquiverit.  
 Neque vero quicquid de toto genere dicitur, Dialectica  
 propositio est. ex quo genere illud est. Quid est homo: aut  
 hoc, Quot modis bonum dicitur? Propositio enim diale-  
 ctica est, ad quam respondere licet, etiam, aut non: quod  
 non licet ad superiores. Ita non est dialectica quaestio,  
 nisi is qui proponit, facta ante definitione aut divisione  
 hunc in modum roget. An bonum hoc vel illo modo dica-  
 tur? Quam quidem quaestionem licet vel negare vel conce-  
 dere. Quasi caenitendum est, ut ita, ut dixi, omnes haec po-  
 nantur quaestiones. Quin illud etiam par est ab illo requi-  
 rere, quae sunt horum genera, quando explicatione & di-  
 visione adhibita à nobis, ille nullo modo concedet. Qui  
 autem in una ratione interroganda multum temporis  
 immoratur, is inscienter querit. Nam si is qui rogatur,  
 ad rogatum respondeat, profecto ille aut plura quam neces-  
 se est interroget, aut saepe idem querat necesse est. Ita aut  
 rogatur, nihil que agit: aut ratiocinationem per quam  
 argumentationem tractet, non habet, quandoquidem ex  
 paucis quibusdam omnibus constat ratiocinatio. Quod si  
 minus respondeat cur eum aut non increpat, aut relin-  
 quit? Illud autem intelligendum est, omnia proposita,  
 quae argumentis per difficiliter probantur, eadem facilia  
 esse ad defendendum, cuius generis ea sunt quae & prima  
 sunt, & ultima ordinis naturae. Nam et prima ac perspicua

definitionem requirunt, & vltima multis concludatur  
 necesse est ab eo, qui iam inde à perspicuis & primis con-  
 tinuatam seriem argumentorum persequi velit. Aliter  
 enim fallaces ac captiosæ argumētationes videbuntur:  
 praesertim cum aliquid doceri non possit nec demōstra-  
 ri, nisi à proprijs initijs & principijs capto exordio, vsque  
 ad vltima perueniatur. Ac illi quidem qui respondent  
 nec rem ipsi volunt definire, nec si qua proponatur ab in-  
 terrogante definitio, facile admittunt. Sed profecto fa-  
 cilis non est differendi ratio, nisi quid sit id de quo insti-  
 tuitur disputatio, intelligatur. quod in principijs contin-  
 git maximè, quibus cetera probantur, ipsa alyis non pos-  
 sunt: definitione que aperienda sunt & cognoscenda ne-  
 cessario. Difficilia etiam probata sunt omnia, quæ  
 principiorum vicinitatem sequuntur. Neque enim mul-  
 ta ad ea probanda, argumenta possunt suppetere, cum  
 pauca interiecta sint inter ipsa & initium, quibus ne-  
 cesse est consequentia omnia monstrari. Definitiones au-  
 tem ea ex omnibus euerti possunt difficillimè, quæ verbis  
 eiusmodi explicata sunt, vt primū dubiū sit, vno modo,  
 an pluribus dicantur: deinde incertum, vtrum proprie  
 de re quæ definitur dicantur, an per translationem. Nā  
 quia dubium est illud non perspicuum, inde fit vt nulla  
 argumentorum copia suppetat: hoc autem quia incertū  
 est, an per translationem dicantur, non possunt refelli

qui definitionem posuerunt. Omnino quæstio omnis si  
difficilis est probatu, vel definitionem requirit, vel in ipsis  
est quæ multis modis, aut quæ per translationem dicun-  
tur, aut non longe abest à principijs, aut eo certe difficilis  
est, quia non est prima facie perspicuum, quo sit ex gene-  
re eorum quæ exposita sunt, id quod affert dubitationē.  
Nam si quo ex genere sit intelligatur, illud etiam intel-  
ligetur, aut definitione explicandum id esse, aut diuisio-  
nem adhibendam, aut inueniendas esse medias proposi-  
tiones, quibus ultima probentur. Pleraque etiam proposi-  
ta, nisi recte tradita & explicata definitione, neque dis-  
putari facile, neque probari argumentando possunt.  
quo ex genere illud est. Sit ne vnum vni contrarium, an  
multa? Quod si contraria definiantur, certe illud fa-  
cile erit explicare, Sint, necne sint plura eorundem con-  
traria. Quod eodem modo iudicandum est de ipsis quæ de-  
finitionem requirunt. Atque etiam in mathematicis vi-  
dentur quædam non facile describi posse prætermissoe  
definitionis, quale est illud. Eam lineam quæ ad latus pla-  
num secat, simili ratione & lineam secare & locum: quod  
definitione adhibita facile intelligetur, quoniam & loco  
& linea eadem respondet, quasi ex altera parte diuisio:  
quæ quidem illius de qua agitur orationis definitio est.  
Omnino prima elementa & initia, definitionibus expo-  
sitis, ut quid sit linea, quid orbis, facile probari demonstrari

rique possunt: verū ad singula eorum probanda nō mul-  
 tis argumentis uti possumus, propterea quōd non multa  
 sunt media quibus probetur. Definitionibus autem ini-  
 tiorū prætermisissis vix, aut ne vix quidē probari possunt.  
 Quod idē sit in ijs principijs quæ differendo adhibentur.  
 Hoc igitur intelligendum est, cum propositum aliquod  
 difficile est probatu, id aliqua de causa earū quas expo-  
 sui, euenire. Cum autē propositio & enūciatio quæ adhi-  
 betur ad aliquid pbandū, difficiliorē habebit pbatiorē,  
 quā propositū, dubitare liceat, sit necne sit admittenda.  
 Nam si eā non admittat sed eī etiā probanda adhiberi  
 probationē velit maius alteri onus imponet quā q̄erat  
 a principio propositū. Si eā admittat, q̄, certe quæ mi-  
 nus valet ad faciendā fidē ipse adtulerunt creant. Ac  
 si questio difficilior nō reddēda sit, ponēda est: si non du-  
 bisset perspicuis dubia cōcludēda erūt, nō est admittēda.  
 Aut ei qui se dat in disciplinā ponēda nō est, nisi sit no-  
 tior: ei autē qui exercitationis gratia disputat, ponēda, si  
 modo vera esse videatur. Ex quo p̄spiciū est nō esse e quū  
 ut qui docet, eodē modo postulet sibi cōcedi quæ sumit, quo-  
 is qui interrogādo disputat. Ac de ratione quidē interro-  
 gādi, et collocādi satis fere dictū est. Nunc de ratione  
 respondēdi differemus, ac primū quod eius sit officium,  
 qui & recte poscit, & recte ponit quæstionem, dicamus.  
 Est autem eius qui ponit quæstionem, ita argumentatio

nē tractare, ut eum qui cum disputet, cogat absurdiora  
cōcedere quā quæ ex re proposita consequuntur. Eius ve-  
rò qui quæstionem poscit, dare operam, ne quod incōmo-  
dum sua culpa, aut quod sit contra opinionem omnium,  
effici videatur, sed ex ipsa tātū re quæ a se proposita est  
ad differendum. Aliud enim fortasse genus peccati est  
cum quis proponit primū quod non debet, deinde proposi-  
tum illud defendere non potest. Non sunt autem explica-  
ta & constituta adhuc à quoquā officia eorum, qui exen-  
citationis & periculi faciendi gratia disputant. Neq̃  
enim idem propositum est doctoribus aut discipulis, quod  
iis qui certandi studio disputant: neque idem his ipsis &  
iis quorū ad cognitionem & scientiam omnis dirigitur  
exercitatio. Nam & discipulis ea semper ponenda sunt  
quæ probatur omnibus: quoniā nemo eo operam confert,  
ut falsa doceat. At eorum qui certandi studio disputant,  
is qui quæstionē ponit semper aliquid facere videri debet,  
& is qui cū disputat nulla in re illi concedere. Quoniā  
aut in cōuētu et cōgressu dialecticorū, iis qui nō certandi  
studio, sed vel tentandi vel cognitionis gratia inter se dis-  
serunt, nō est adhuc à quoquā, ut dixi, expositū et traditū,  
quid inuestigare, quid dare aut nō dare oporteat cū qui  
poscit quæstionē, ut gnauiter aut nō gnauiter ac præcla-  
re decreta sua defendat: nos hoc loco institimus dicere.  
Qui igitur respondendi munere fungitur, is quæstionē

defendat necesse est, vel probabilem vel non probabilem,  
 vel neutram: ita tamen, ut aut probetur, aut non probetur  
 omnino, vel cum adiunctione, ut huic, vel alij. Quo autem  
 modo probabilis, vel non probabilis sit, nihil interest: quã  
 do quidem idem genus retinendum erit præclare respon-  
 dendi ad rogatum aut dandi, aut non dandi rogatum.  
 Ac non probabile quidem si sit propositum, probabile:  
 si non probabile, non probabilem necesse est conclusionem effi-  
 ci. Contrarium enim propositi semper concludit is qui in-  
 terrogat. Quod si id de quo agitur sit eiusmodi, ut nec p-  
 betur, nec improbetur, eiusdem generis efficietur conclusio.  
 Quoniam autem is qui scite ratiocinatur & concludit, rebus non dubijs & perspicuis id quod dubium est aperit & ostendit, profecto si quando id quod interrogatur non sit probabile omnino, non debet is qui poscit questionem, neque id dare quod non probetur omnino, neque id quod illud quidem probetur, sed minus quam conclusio, quippe cum propositum, si non probabile sit, conclusio probabilis sit futura. Ita fit, ut ea quæ sumuntur, omnia probabilia esse debeant, ac magis probabilia quam id, de quo queritur: si quidem magis perspicuis, minus probabilia velit concludere. Ita si non sit ex eo genere id quod interrogatur, non id debet qui respondet concedere. Sin autem probabile omnino sit propositum, improbabilis omnino conclusio erit. Itaque danda erunt quæ probantur omnia.

& eorum quæ nō probantur, si qua magis pbabilia sine  
 conclusione: sic enim recte disputatum fuisse videbitur.  
 Quod idem faciendum erit, si nec minus sit probabilis  
 questio. Sic enim & quæ probantur, danda sunt omnia,  
 & quæ nō probantur, si qua magis probabilia, quàm cō-  
 clusio, erūt. Sic enim fiet, vt probetur magis disputatio.  
 Ac si id de quo agitur omnino probabile sit aut nō proba-  
 bile, tum habenda erit eorum ratio, quæ omnino proban-  
 tur. Sin autem nō omnino probabile, aut non probabile,  
 sed ei modo qui respondet, tū ex ijs quæ ei probantur aut  
 minus probantur iudicare debet, qui concedendum aut  
 non concedendū esse videatur. Quod si alterius sententiā  
 defendat is qui respondet, certe eius mentem & sententiā  
 spectare debebit, ut quid cōcedendum sit aut negandum,  
 intelligat. Itaque qui alienas sententias introducunt,  
 vt bonum & malum esse idem, vt placet Heraclito, y non  
 dant in eodem simul non inesse contraria: non quòd nō  
 probetur hoc eis, sed quòd Heracliti sententia ita dicen-  
 dum est. Quod etiā y faciunt, qui alij ab alijs proposita  
 accipiūt. Exquirunt enim illi, quid sit responsurus is,  
 qui rem proponit. Hoc igitur perspicuum est, quæ exqui-  
 rere is debeat qui respondet, siue omnino probabile, siue  
 alicui sit id quod queritur. Quādo autē necesse est om-  
 ne rogatum aut probabile, esse, aut nō probabile, aut neu-  
 trum. & vel ad conclusionem efficiendam valere vel non  
 valere, rogatum: si probetur, neque ad conclusionem effi-



ciendam valeat, id & dare, & probabile dicere debemus.  
 Eo enim posito & concesso, propositum primū non euer-  
 titur. Si autem neque probetur ipsum, neque ad cōclusio-  
 nem efficiendam valeat, id quidem dandum est, sed ita  
 tamē, ut nō probari id nobis significemus, vitanda amē-  
 tie gratia. Si vero & probabile sit, & ad rem pertineat,  
 respondendū erit id quidem videri & probari: sed propo-  
 situm adeo finitum esse, ut eo concesso, propositū tollatur  
 necessario. Si ad conclusionem efficiendā valeat, & ad  
 modum sit improbabile, respondendū erit, conclusionem  
 eo posito & concesso effici, sed stultum id esse quod afferat-  
 tur. Cum autem nec probabile quid, nec minus probabile  
 rogabitur, tum si ad cōclusionem efficiendā nihil valeat  
 id dandum erit nulla facta distinctione: si valeat, expo-  
 nendum est, eo posito, sublatum iri id de quo agatur. Sic  
 enim & nihil eius qui respondet culpa factum videbi-  
 tur si quidem quid concedere & dare debebat semper  
 prouiderit: & is qui questionem ponit, quod vult effi-  
 ciet, cum ei ea dabuntur omnia quæ magis quam con-  
 clusio probentur. Qui autem instituant argumenta-  
 tionem tractare per ratiocinationem, sumptis ijs quæ mi-  
 nus quàm cōclusio approbantur, ijs quoniam inscienter  
 ratiocinantur, quæ rogant dari concedique non debent.  
 Eodē modo eis occurrēdū erit, cū res dubias & obscuras,  
 & quæ multis modis dicuntur, afferent. Nam quoniā ei  
 qui poscit questionem, si minus intelligat, licet dicere,

Non intelligo: & quod multis modis dicitur, non necessario id aut concedere aut negare debet: profecto si quid afferatur quod obscurū sit, sine vlla dubitatione & mora se id nō intelligere fatebitur. Sape enim ex eo quod dāt & concedunt y quibus obscura nec aperta interrogatio proponitur, absurdum aliquid incidit. Cum autē cognitū apertūque erit id quod multis modis dicitur, si ōni ex parte & omnino verum sit aut falsum quod assertur, id omnino concedi negareve debebit: sin quadā ex parte falsum sit, & quadam ex parte verum, id ambigue dici, & in illo verē & in hoc falso dici indicabit. Nam si id posterius distinguat, dubium erit, an in prima disputatione ambiguum perspexerit. Quod si ambiguum verbū non attendat, idquetū cum alterius habet rationē, concedat: si ad alterū impellatur, fateri debet se id concessisse, cum nō ipsum illud ad quod vocatur, sed alterū ipse spectaret, & attenderet. Cum enim plura eidem nomini & orationi subiecta sunt, tū facile existit cōtrouersia. Sin rogatum & planum sit & simplex, aut etiam, aut nō respondendum est. Quoniā que omnis propositio que valet ad conclusionem efficiendā, aut aliqua earū est ex quibus ratiocinatio cōficitur, aut ad aliquam earum refertur: perspicuū est autem tum alterius probanda gratia assumi cum multa similia interrogantur, quippe cum fere per inductionem vel similitudinem id quod de toto genere & omnino dicitur, concludatur: singula omnia

concedenda sunt, si vera sint & probabilia cōtra inuē-  
 sum genus obijciendum aliquid. Impedire enim cursum  
 orationis, nisi resistas verē, aut saltem videare, hoc est ini-  
 quum se in disputādo difficilēque praeberē. Ita si mul-  
 ta similia existant, neque det in toto genere dici, tum cū  
 refellere nequeat, profectō difficilē se proteruūque prae-  
 bebit. Iam vero si non habeat contra argumentū sumere  
 ad refellendū, tum multo etiam magis difficilis proteru-  
 uis que videbitur. Quamquam ne hoc quidem satis est.  
 Multae enim rationes extāt, sententijs omnium cōtrariae,  
 quarū difficilis est explicatio. cuius generis est Zenonis  
 ratio, qua tollit motū, & stadij traiectionē. nec vero ppte-  
 re a corū contraria minus defendi cōcedi q̄ debet. Ergo  
 si quis nec contrā ullā adferre rationē queat nec aliquid  
 opponere in quo non ita sit & tñ non cōcedat, is profectō  
 iniquū se praebebit in disputādo. est enī in disputationi-  
 bus iniquitas & ppter uia respōsio quae praeter modos quos  
 exposuimus, vim habet ad interimendam tollendāque  
 conclusionem. Defendere autem et propositum & defini-  
 tionē, ita par est, si ante argumenta ipsi in nos quasi ad-  
 uersariorū tela iaciamus. Quibus enim rationibus infir-  
 mant nostra decreta ij qui ponūt quaestionem, ijs ipsis re-  
 sistere debemus. Propositum autē non probabile timide  
 defendendum est. Multis autem modis nō probabile esse  
 potest. Nam & id nō probabile est ex quo efficitur, ut in-  
 commoda, & absurda quaedam fateamur. ut si quis vel

omnia, vel nihil moueri dicat, & ea omnia quæ deterior  
 status & constitutio sequi solet, & quæ hominum volun-  
 tatibus repugnant. quale illud est, Voluptas est bonū, &  
 facere quàm acipere præstat iniuriã. Non enim quasi  
 disputationis gratia defendat: sed tanquã ea dicat quæ  
 probet & sentiat, ita eum oderunt. Argumenta autem  
 quibus falsum concluditur, dissoluenda sunt, infirmã do-  
 evertendõ q̃ eo, ex quo falsum effectũ est. Neq̃ enim quo-  
 uis sublato argumētum soluitur, ne si falsum quidem sit  
 id quod sit euersum. Multa enim falsa in argumenta-  
 tione contineri possunt. vt si quis sumat, eum qui sedeat  
 scribere, & Socratem sedere: ex his efficitur, scribere So-  
 cratē. Euersa igitur hac enunciatione, Socrates sedet,  
 non tamē dissoluta & explicata argumentatio est. Et  
 quanquã falsa enunciatio est, non tamē falsa ob id est  
 argumentatio. Si quis enim sedeat neq̃ scribat, nō iam  
 in hac tali causa hac ipsa accommodata dissolutio est.  
 Non igitur hoc refellendum est, sed illud eum qui sedeat  
 scribere, cum præsertim nō omnis scribat qui sedet. Ita  
 fit vt dissoluat argumentũ is qui falsi causam tollit. &  
 explicationem argumēti intelligat is qui causam argu-  
 mentationis falsæ cognouerit. quẽ admodum in ijs quæ  
 falso & vitiose describuntur, contingit, Neque enim sa-  
 tis est resistere, etiã si falsum sit quod refellitur, sed etiã  
 cur falsum sit docendũ est. Sic enim vtrũ occurrendo, ra-  
 tione & consilio ductus sit necne, intelligetur.

III

Impediri autem argumentatio potest ne concludatur, quatuor modis. Primum id ex quo falsum est, refellendo. Secundo, occurrendo ei qui quaestionem ponit. Saepe enim non explicato & dissoluto argumento, tamen is qui rogat, progredi non potest longius. Tertio, refellendo rogatum. Fit enim interdum, ut ex iis quae quaeruntur non quod volumus consequamur, propterea quod vitiose interrogatum est, quibusdam tamen apposis effici potest conclusio. Ac si ultra progredi is qui rogat non potest, occursum erit roganti si non potest, rogato. Quartum genus resistendi, & deterrimum id est, quod ad tempus refertur. Nonnulli enim in refellendo ea afferunt quae ad differendum plus temporis desiderant, quam patitur disputandi consuetudo. Ac resistendi quidem quatuor, ut dixi, genera sunt. Sed prima una ex his explicatio est, caetera impedimenta sunt quaedam conclusionum. Reprehensio autem argumentationis non eadem ex eius natura & ex interrogandi ratione nascitur. fere enim fit culpa eorum qui rogantur, ut non recte tractetur argumentatio, quod non concedant ea quae magnam facultatem suggerant ad id efficiendum quod quaeritur. Neque enim in alterutro solum positum est, ut communis res recte ad finem exitumque perducatur. Quapropter interdum qui aliquid respondet, refellendus est necessario, et omittendum ipsum propositum: tum denique cum is qui quaestionem poscit, instructus calumnijs, paratus venit ad contradicendum. Ita iniquos se praebentes, di-

Disputationes non dialecticas, sed concertationum plenas  
 instituunt & inuehunt. Et quoniam exercitationis et vel-  
 luti examinis causa non eruditionis hæc tales disputatio-  
 nes comparatæ sunt, profectò non modo vera, sed etiã fal-  
 sa concludenda sunt: nec ex veris semper, sed interdum  
 etiam ex falsis. Nam & plerunque vero posito, is qui con-  
 tra disputat, refellere debet. ita fit necessatio ut sint propo-  
 nenda falsa: & falsum quod positum est, interdum fal-  
 sis euerti collique debet, cum præsertim nihil phibeat fal-  
 sa alicui magis quàm vera probari. Ita si ex ijs quæ illi  
 probantur, progrediatur argumentatio, persuasus poti-  
 us quam adiutus erit. Sed omnes debent, qui aliò dispu-  
 tationem recte traducere & trahere volunt, ut geometria  
 geometricè, sic dialecticè, nõ pugnaciter traducere, siue  
 falsum, siue verum sit id quod concluditur. Quæ autem  
 sint dialecticæ ratiocinationes supra expositum est. Ut  
 autem in rebus vsuuenit, ut socius iniquus & sceleratus  
 sit is qui rem communem impedit: sic in disputationi-  
 bus in quibus etiam commune quiddam propositum est  
 utrique, præter quàm ijs qui certandi studio disputant.  
 Neque enim utrique eorum licet eundem finem con-  
 sequi, præsertim cum plures vno vincere non possint.  
 Utrum autem in respondendo, an in rogando, id effi-  
 ciant nihil interest. Nam & qui certandi studio rogat,  
 vitiose & præposterè differit: & qui respondendo non  
 concedit neque dat quod videtur probabile, neq; inducit.

in animū audire quid tandē velit is qui ponit quæstionē  
 Ex quo perspicuū est, non eodem modo argumentationē  
 si per se consideretur, reprehendēdam esse, & eum qui eā  
 rogando tractat. Nihil enim prohibet, vitiosam argumē  
 tationē esse. cum interim is qui quæstionem ponit, quā  
 poterit accommodatissimè, cū eo qui respondet disputabit.  
 Nam si res sit cum difficilibus & propteruis, non potest  
 profectò statim quas quisque velit, sed quas possit, tracta  
 re per ratiocinationem argumentationes. Quoniā autē  
 incertū est, quando contraria hoīes sumunt, & quando  
 id quod a principio positum est in quæstione, (sæpe enim  
 ipsi secum & soli cum aliquid loquuntur, repugnantia  
 dicunt, negatoq̄ eo quod prius est, concedunt posterius.  
 Itaque cum rogantur, sæpe repugnantia, & quod primo  
 loco propositū est cōcedunt) eo vitiosas argumentationes  
 necesse est effici. Culpa est ista eorū qui respōdent, q̄ quæ  
 dā non concedunt, alia eiusdem generis concedunt. Ex  
 quo etiam perspicuū est, non eodē modo reprehēdēdos esse  
 eos qui quæstionem ponunt, & ipsam argumentationē.  
 Argumentatio autem quinque modis reprehendi solet.  
 Primo, cū ex ijs quæ rogata sunt & quæ sita, nihil cōclu  
 ditur ōnino, nec quod ad rem pertineat, quod falsa sint,  
 vel non probabilia omnia, aut certè plurima eorū, ex qui  
 bus conclusio efficitur: & quod nec detractis quibusdā,  
 nec additis, nec alijs detractis, alijs additis efficitur con  
 clusio. Secundo, si tractetur per ratiocinationem, quæ ad

rem non pertineat argumentatio, ex talibus et eo modo quo  
in superiori dictum est. Tertio, si additis quibusdam efficiatur  
ratiocinatio, sed quae deteriora sint quam quae ro-  
gata sunt minusque probabilia conclusione. Quarto, si  
detractis quibusdam, idem contingat. Interdum enim  
plura sumuntur quam necesse est, ut non ex eo quia haec  
concessa sunt, efficiatur conclusio. Postremo, si ex minus  
probabilibus, & credibilibus efficiatur, quam sit conclusio  
aut si ex veris, sed quae difficilius & maiore negotio quam  
id quod quaeritur, ostendi possunt. Neque vero id postu-  
landum est, ut omnes quae de proposito instituuntur, aequae  
probabiles sint rationationes, & aequae valeant ad faci-  
endam fidem. Eorum enim quae exquiruntur partim pri-  
ma facie facilia sunt natura sua, partim difficilia,  
ut si quibuscunque probabilibus possint, concludetur, recte  
conclusa videantur. Per spicuum est igitur, non eodem  
modo argumentationem iudicandam esse vitiosam cum  
ad quaestionem refertur, & cum per se exquiritur. Nihil  
enim prohibet argumentationem per se vitiosam esse: quae  
si ad quaestionem referatur, vera erit, vicissimque vera  
per se considerata, cum quaestione collata, vitiosa esse po-  
test: cum facile ex multis probabilibus & veris quae illi  
quaestioni tractanda sunt accommodata effici potest quod  
volumus. Fit autem interdum, ut argumentatio etiam  
quae concludit, ea quae non concludit sit deterior, cum illa

f



ex ijs quæ minus probantur concludit, cum quæstio pro-  
 posita in eo genere non sit, hæc autem talia requirit, quæ  
 probabilia & vera sint, nec ex ijs quæ assumpta sunt, argu-  
 mentatio est. Neque vero ij qui ex falsis verū concludunt,  
 iure reprehendi possunt, cū præsertim & necesse sit sem-  
 per falsum ex falsis, & liceat interdum verū ex falsis cō-  
 cludi. quod ex analyticis perspicui potest. Cum autem ar-  
 gumentatio quæ exposita est, alicuius rei demonstratio  
 erit, si quæ sit alia propositio quæ cum cōclusionem nullam  
 habeat coniunctionem, ex ea non efficietur cōclusio: Sin  
 speciem præ se ferat coniunctionis, fallax erit conclusio,  
 non necessaria. Est etiā Φιλοσοφικὴ ratiocinatio necessa-  
 ria. Epicherema autem ratiocinatio probabilis, Sophis-  
 ma autem ratiocinatio pugna. αὐτὴ δὲ ἐπιμαρτυρία in utraq;  
 partem differendi. Quod si ex utraque propositione pro-  
 babili aliquid ostendatur, neque a quæ probentur, nihil p-  
 hibet id quod demonstratum est, magis quàm utranque  
 probari. At si una sit probabilis, altera neutro modo: aut  
 si hæc probetur, illa non probetur si id quidē similiter sit  
 tū ex æquo probabitur et non probabitur quod demōstra-  
 tione concluditur, sin altera magis probetur, magis etiā  
 probabitur. Atque etiam in tractandis argumentatio-  
 nibus per ratiocinationem peccatur, cum aliquid pluri-  
 bus ostenditur, quod paucioribus potest, quæ etiam in ar-  
 gumentatione reperiuntur. Cuius generis illud est quod

sumitur ad probandum, opinionē aliam alia verius dici  
 opinionē. Si quis poscat hanc enunciationem, quicquid  
 appellatur cum accessione pronominis, ipsum, illud est  
 quod in eo genere maxime est id ipsum quod est: Est autem  
 opinabile aliquid quod quia vere est opinabile appellatur  
 ipsum opinabile: ex quo sequitur illud ipsum cum ma-  
 xime sit, alijs quibusdam esse magis opinabile: porro autē  
 omne quod magis esse dicitur, alterius cōparatione dici-  
 tur magis. Est vero opinio etiam aliqua veraque accessio-  
 ne pronominis, ipsa opinio appellari potest: quae alijs qui-  
 busdā certior est. Hic igitur sumptū est, verā esse aliquā  
 opinionem quae accessione pronominis, ipsa opinio voca-  
 retur. Item, illud, in omni genere illud esse maxime ta-  
 le quod per accessione pronominis, ipsum, nominatur: ex  
 quibus sequitur ipsam opinionē quae maxime verax est,  
 eā esse quae maxime et verissime opinionis nomine voca-  
 tur. Sed quod vitium in hac est ratiocinatione? An ob eā  
 causam, quod facit ut causa ex qua ratiocinatio confici-  
 tur ignoretur? Argumentatio autē perspicua est vno mo-  
 do, qui maxime in populi ore versatur, cum ita conclusa  
 est, ut iam nulla sit opus interrogatione. Altero, qui etiā  
 crebris usurpatur sermonibus, cum sumpta sūt ea, ex qui-  
 bus esse necesse est quod concluditur, sunt autem ea ex a-  
 lijs cōclusionibus collecta. praeterea si quid praetermissum  
 sit, quod valde sit probabile. Falsa autem dicitur quatuor

modis, & cum videtur concludere neque concludit, quod  
 vocatur conclusio & ratiocinatio ad concertationes spe-  
 ctans. Et cum efficit illa quidem aliquid, sed quod mi-  
 nus ad rem pertineat. quod us contingit maxime, quibus  
 incommodo alij vrgentur. Aut aliquid concludit, quod  
 ad id quod agitur pertinet, sed non propria accom-  
 modata queratione, id est, si ea quae non est medicina  
 propria, videatur medicinae esse, aut geometrarum, quae  
 non est, aut dialecticorum quae non est, siue verum, siue  
 falsum sit quod efficitur. Alio modo falsa est argumē-  
 tatio, cum ex falsis cōcludit, cuius generis erit alia falsa  
 alia vera conclusio. Nam & falsum semper ex falsis, &  
 verum interdum ex falsis, ut supra dixi, cōcluditur. Ac-  
 oratio quidem quod falsa sit, culpa est eius qui argumēta-  
 tionē tractat potius, quam argumentationis. Nec verò  
 culpa est semper disputantis, sed tū denique cū falsam se  
 aliquā argumentationē tractasse ignorat (quādoquidē  
 saepe falsam orationē & propositionē cū animo aliquid  
 per nos ipsos tractamus magis quā multas veras approba-  
 mus) praesertim cū ex ijs quae maxime videntur proba-  
 bilia aliquid eorū quae vera sunt ipsa refellit. nā quomo-  
 do ea sit semper culpa disputantis, cum saepe ad res veras  
 demōstratione cōcludendas huiusmodi ratiocinationes  
 ex falsis adhibeātur? quippe cum aliquid eorū quae posi-  
 ta sunt, falsum esse debeat omnino, ut id demōstretur. Si

verò falsis & valde absurdis verū cōcludat argumētatio,  
 multo certe deterior ijs futura est quæ falsū concludunt.  
 Cuius generis argumētatio, etiā falsū concludere potest.  
 Perspicuū est igitur primū videndum esse, an concludat  
 argumētatio: deinde, verū an falsum: tū ex quibus.  
 Nā si ex falsis, sed quæ probabilia sint, tolerabilis erit et  
 non aspernanda ratio: si ex veris, sed quæ nō probentur,  
 vitiosa: si & falsa & quæ valde improbentur, profectō vi-  
 tiosa erit aut omnino, aut in re de qua agitur. Quemad-  
 modum autem is qui quæstionē ponit, id quod initio pro-  
 positum est & cōtraria petat, ad veritatem expositum est  
 in analyticis, quemadmodum ad opinionem nunc dicen-  
 dum est. Petendi autem id quod initio dictum est quin-  
 que sunt genera. Primū & clarissimum, si quis id petat,  
 quod demonstrandum ipsi est: quod quidē in eadē re non  
 facile ignoratur, in synonymis autē ijs quæ omnibus quo-  
 rum nomen & definitio idem declarant, magis. Alterū,  
 cum id quod singillatim demonstrari debet, omnino &  
 totum aliquis petit. vt si quis probans contrariorum quæ  
 aduersa dicuntur vnā esse artem, petat contrariorum  
 omnino vnā esse. videtur enim quod per se probari debeat,  
 id vna cum alijs pluribus petere. Tertium, si quis singil-  
 latim petat, quod propositum est ad demonstrandum om-  
 nino. vt si omnium aduersorum esse propositum sit, aliquo-  
 rum petat. Nam videtur hic etiam quod cum multis eras

docendum, id petere per se ac separatim. Rursus, si quis adhibita diuisione, id de quo agitur petat. vt si demonstrandū sit, medicinam esse salubriū & cōtrariū, separatim petat vtrunque. Aut si quis alterum petat eorum, quorum alia alijs consequuntur necessario. vt latus cum diametro componi non posse cum pbandum sit, diametrum cum latere non posse. Contraria etiam tot modis quot ea quae initio dicta sunt petuntur. Primum, si contraria petat, aientia & negantia. Secundo, si contraria eo modo quo sunt inter se repugnantia, vt bonum & malum esse idē. Tertio, si quis omnino & totum sumpserit, & in parte petat quod repugnat. vt si quis hoc sumpto, aduersorum vnā esse artem, petat salubriū & insalubriū aliam artem: aut si hoc posteriore petito, de toto genere repugnantiam sumat. Rursus, si quis contrarium petat eius quod ex positis & cōcessis efficitur necessario. Item si quis contraria ipsa non sumat, duo autem petat eiusmodi, ex quibus repugnantia sequetur. Sumere autem cōtraria & petere id quod initio positum est, hoc differunt, quod huius error in conclusionem incidit. (illud enim spectantes peti id dicimus quod initio positum est) contraria autem in propositionibus cernuntur, quod inter se quodam modo affecta sunt. Ut autem exercitatio & meditatio in argumentationibus eiusmodi paretur, primū assuescendum est argumentationes conuvertere. Sic

enim maior nobis ad disputandum argumentorum sup-  
petet copia, & in paucis multas argumentationes tenebi-  
mus. Conuertere enim est, vnum eorum quæ data sunt re-  
felle mutata in suam oppositam conclusionem, eaq; cum  
altera sumptionum accepta. Nam si tollatur conclusio,  
vna aliqua propositio tollatur necesse est: si quidem positus  
ijs omnibus, necesse sit conclusionem effici. Ad omne ve-  
ro propositum, multum valet, in hanc et illam partem ar-  
gumenat inuenire quibus solutio illico quaerenda est Sic  
enim fiet, vt simul & in quaerendo & in respondendo exer-  
citati simus et si nemo alius sit quo cum disputemus con-  
feramusque hæc ipsa: nobis certe per nos & nobiscum lice-  
bit. Sunt etiam comparanda inter se argumeta quæ v-  
tramq; in partem plurimū valent. Hoc enim & ad obfir-  
mādum se & ad refellendum multum valet, cum alicui  
magna argumentorum copia in vtranque partem disse-  
rendi suppetit. Nā ad cōtrarias partes fiet tutior. Possē-  
que ante perspicere, & perspexisse, quid vtranque quæsti-  
onem & causam sequatur, non paruum adiumentū ad-  
fert ad cognitionem, philosophiæque rationē. Relinque-  
tur enim, vt eorum recte alterū sequamur. Sed ad id ef-  
ficiēdum ingenio opus est: verūque ingenium & indo-  
les in eo est, vt possis verū recte sequi, & declinare falsum:  
quod quidem ij quibus acumen ingenij & indolem natu-  
ra largita est, præclarē efficere possunt. Cum enim amār

& oderunt quod affertur & proponitur, vere de eo quod  
 praestantissimum est, iudicant. Cum vero ad quaestiones,  
 quae sapissime in disputationem incidunt, parati & in-  
 structi argumentorum copia venire debemus, tum maxi-  
 me ad eas quibus capita prima proposita & quaestiones ge-  
 nerales disputantur. quoniam in his fere y qui respondet  
 omnia fere quae vulgo recepta sunt respuere solent. Iam  
 definitionum nobis magna vis suppetere debet, eaque in  
 promptu habere debemus maxime, quibus ea quae proban-  
 tur & prima declarantur, cum praesertim ex iis ratio-  
 cinationes constent. Danda est etiam opera, ut ea in quae  
 alia argumenta incurrunt teneamus. Ut enim in Geo-  
 metria utile est elementa & initia exercitatione para-  
 ta & meditata habere: & in numerorum ratione, prima  
 quasi capita in promptu habere, magnaque in hoc ipso  
 vis est, ut alium etiam numerum multiplicatum cognos-  
 cat: sic in argumentationibus, principia tenere, & pro-  
 positiones in ore habere. Quemadmodum enim in memoria  
 exercitatione loci collocati & dispositi, statim faciunt ut  
 redeant res nobis in memoriam: ita haec ipsa magnam no-  
 bis ad differendum copiam suggerent, quod loci ipsi cer-  
 ti sint, quos spectemus. Sed locus communis potius quam  
 tota ratiocinatio, memoria mandandus est, quippe  
 cum difficile sit, mediocrem principiorum & proposito-  
 rum vim ac numerum suppetere. Praeterea argumenta

ac numerum suppetere. Præterea argumentum vnum  
in multa distribuere assuescendum est nobis: ita tamen  
ut id obscurissime facere videamur. Quod ita fiet, si quis  
longissime aberret à vicinitate eorū de quibus agitur. Ea  
autem argumēta in hoc genere plurimum valebunt, quæ  
de toto genere id maxime efficere possunt. Cuius generis  
illud est, Non esse vnā multarum rerum artem. Eadē  
enim ratio est eorum quæ cum aliquo conferuntur, & cō-  
trariorum quæ aduersa dicuntur, & coniugatorū. At-  
quæ etiam rationes quas ab alijs accipimus quasi vniuer-  
sales accipere debemus etiā si in parte sint tractatæ. Sic  
enim ex vna multa etiam facere licebit. Quod fieri in  
arte Rhetorica de enthymematibus eodem modo iudican-  
dū est. Is vero qui respōdet hoc quantū poterit declinabis-  
ne ad totum genus reuocetur disputatio: illiq; hoc viden-  
dum est semper, an de pluribus rebus communibus tracte-  
tur facta ab alio argumētatio. Omnis enī quæ de parte,  
est in vniuerso genere continetur, inestq; in priuata & sin-  
gulari causā vniuersi generis expositio et demōstratio qd̄  
sine vniuersi generis locis nihil cōcludi potest. Usus autē  
argumētationū earū quæ per inductionem tractantur  
ad rudes & ignaros: earum quæ per ratiocinationem ad  
peritos transferri accōmodariq; debet. Emitendūmq; est,  
ut ab ijs qui argumētationes per ratiocinationē tractare  
possunt, propositiones, ab ijs qui per inductionē, similitu-



dinum collationes comparationesque accipiamus. Sunt enim utriusque in hoc genere exercitati. Omnino is qui exercitationis gratia disputat conari debet utilitatem illam ex disputatione consequi, ut aliquam inde referat aut ratiocinationem ad aliquid probandum, aut propositionem, aut solutionem, aut oppositionem (quae instantia vulgo appellatur). Et ut notet bene an perperam aut ipse aut alius disputauerit: et qua ratione utraque euenerit. Ex his enim tota haec facultas constat: exercitatio autem facultatis gratia suscipitur. Sed ex iis omnibus quae dixi, maxime quaerenda sunt propositiones et oppositiones hoc est ut vocatur instantia. Dialectici enim vis maxime cernitur in proponendo, & resistendo. Est autem proponere unum facere ex multis: quandoquidem unum omnino sumi debet ad quod pertinet argumentatio: resistere vero est multa ex uno, aut enim distinguit, aut euertit, cum ex iis quae proposita sunt, hoc concedit illud non concedit. Quoniam autem vitiosa & iniqua disputationes cum quibusdam futurae sunt necessariis, nec cum quouis disputationes instituere, nec quemlibet in societate exercitationis recipere debemus. nam aduersus eum qui hoc unum agit, hoc conatur, ut alterius argumenta quacumque ratione eludat, & quum est omnino, disputare, tamen non semper decet. Quocirca non temere cum quibusvis exercitationis causa considerandum est. hinc enim maledicta, hinc contumelia, hinc iracunda contentiones,


concertationesque nascuntur. Neque enim fieri potest, ut qui vnum in locum discendi exercēdaque artis gratia conueniūt, sine concertationibus disputare desināt. Atque ut finem dicendi faciam, parata & meditata argumenta nobis esse debent ad eiusmodi quaestiones, quibus tractandis quo minor copia suppetet, eo ad plura valebūt quo ex genere sunt & ea quae per vniuersi generis quaestionem fusa sunt, & ea quorum ex tempore difficilior supeditatio & inuentio est.


FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



27





ARISTOT  
TRATATUS  
VARIOS

R  
12  
12